

Franckesche Stiftungen zu Halle

De Cattiana Tellvris Nostrae Rvina

Miller, Johann Peter

Halae Magdeb., [1756?]

VD18 1319996X

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:33-1-202445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-202445)



IN GYMNASIO HALLENSI



I nauditos illos ab omni hominum memoria terrae motus, qui maria terrasque maximis locorum interuallis separatas, vno primo Nov. die eodemque fere temporis articulo, proxime concusserunt, quique non flumina modo in contrarias partes ingenti impetu horribilique murmure egerunt, sed oppidis etiam et hominibus exitiosi acciderunt: quotus quisque est, qui sine animi magno et Panico etiam terrore, relatos in publicis commentariis legerit. Et digna esset profecto noua res, quae publica hac scriptione a nobis vberius disputaretur, si modo ii essemus in physicis, qui lucem aliquam illaturos nos esse in ea, quae in abditis telluris nostrae partibus accidunt, sperare possemus. Sed illud tamen verissime affirmare, ducti tragicis his clarisque naturae euentibus, posse videmur, ingentes esse et per omnem fere globum nostrum pertinentes cavitates, cum aquis maxime, tum vero sulphure etiam, bitumine aliis item rebus repletas, quae ignem flammamque concipere et tantos tamque horrendos ciere motus et clades efficere possunt. Quae omnia cum cogitant nonnulli, eo deuenerunt, vt tristissima globulo nostro fata portenderint. De quibus **CATTIVS** is est, cuius non omnino est spernenda auctoritas. At vero, quo minus indicta causa ei assentiamur, cum alia, tum hoc obstat, quod nemo huc vsque de orbe nostro philosophus ita praecepit, vt diu tueri sententiam potuerit. De tota enim hac rerum vniuersitate quam variae fuerint

discre-

discrepantesque philosophorum veterum sententiae, nemo, CICE-
RONIS quidem familiaris, potest facile ignorare *). Quodsi enim
eos, quos disputantes facit, audiatis philosophos, difficile est, vt

Spectatum admitti risum teneatis amici.

Alius enim animal tibi pinget, quaesitus de rerum hac vniuersitate,
monstruosa magnitudine; alius magnificentius quam verius de ea sen-
tiens, Deum hunc mundum esse, egregie disputabit et in tui admira-
tionem te rapiet. Iam de ortu interituque rogati, facile intelligis,
in quam contrarias partes sint abituri. EPICVRVS ex rotundis ac
quadratis atomis omne hoc aedificium belle ingenioseque componit:
Pythagorae discipulus rupto sacro silentio, ex numeris et Mathema-
ticorum initiis subtiliter conflata omnia clamabit. Vterque qua ratio-
ne sit iterum interitura tanta moles et vniuersitas rerum, facili et proba-
bili arte ostendit. Neque enim difficilior esse potest dissolutio, atque
coagmentatio fuit. Vnus maximum tibi terrorem incutiet Stoicus,
mira disputans de, nescio, quibus terrarum inundationibus atque
exustionibus **).

Iam, si hos mittamus, (incertiores enim sumus, quam ante,) et
nostros, quid sentiant, rogemus: videtur, in duas classes tribui
illos posse. Sunt enim, qui totam hanc rerum stupendae artis fabri-
cam igne consumptum aliquando iri tanto confidentius statuunt, quanto
clarius haec fata praenuntiari diuinis quibusdam oraculis arbitrentur.
Ab his vero reliqui ita dissentiant, vt DEVM ipsum opus rursus
suum, virtutum excellentium pulcherrimam tabulam negent esse
dissoluturum. Quorum rationes perspicue et apte explica-
uit singulari libello IOD. LEOP. FRISCH. V. R. ***). Nomina
vero ducum, qui pro perennitate orbis nostri dimicant, ex-
hibet, WOLFIVS †). Fuerunt vero, qui ab utroque hoc genere
discedendum nouumque systema exstruendum, vt erant ingenio mire
fecundo, sibi censerent, quibus duces WHISTONVS, BURNETVS
et HEINIVS olim noster sese praeberunt. Quorum tamen longum
et difficile est somnia narrare. Iuuat potius le CATTIO iam paul-
lulum vacare, viro clarissimo, et rerum naturae felicissimo et pertina-
cissimo inprimis scrutatori. Hic enim de terrae nostrae vltimis fati-
s quaesitus, non sursum ad sidera aut in cometarum regiones nos rapit;
neque, vt in abdita terrae loca descendamus, ignem illic feralem visuri,
(2 requirit.

*) v. v. c. de Nat. D. II. 12. de Vni. Frag. 3.

**) CVDWORTHY Syst. Int. p. 143. sqq.

***) Die Welt im Feuer, Sor. 1746.

†) in *Cur. phil. et cr.* Tom. V. p. 236.

IV

requirit. In terra ipsa mali huius materiam ostendit, et a fluxu refluxuque maris omnia metuenda nobis esse, ait. Igitur videamus iam, quomodo tragicam hanc scenam instruat vir sagacissimus *). Sumit autem CATTIVS:

I. Principio rerum aquam superiorem in orbe nostro locum tenuisse, tellurem vero, quod grauior ea esset, inferiorem. Fuisse autem terram aequaliter ex omni parte rotundam, nec montes ex illa eminuisse, nec vallium profunditates vllas exstitisse in planissimo hoc et aequabili corpore, ait.

II. Luna vero in orbem telluris nostrae inclusa, accidit, vt vehementissimae aquarum agitationes, fluxu refluxuque marium subito excitatae, existerent: quae non poterant non concutere terrarum vias illas, per quas aquarum ista vis omnis decurreret.

III. Proximum erat his perturbationibus, vt impetus fluctuum, (quod quotidie fere vident, qui ad marium littora habitant,) certos in locos acervos cogat arenae, quibus dum in horas maiores accedebant cumuli, nati sunt montes et ingentes faxorum moles, intra quas libere fluuii omnesque suo pondere acti, in receptacula maris cum murmure magno feruntur. Habes lector natales quatuor provinciarum illarum, quas Europam, Asiam, Africam et Americam appellamus. Vides vero etiam hoc casu, vnde illud sit, vt in Europa ossa atque cadauera Elephantorum, Rhinocerotum, verbo, earum bestiarum, quibus gignendis impar est, ex abditis montium eruantur. Neque est, quod celebris haec quaestio, vnde pisces et conchae marinae formaeque ipsarum faxeae in montibus nostris existant, te diutius vexet. Quocunque enim terrarum oculos vertas, aqua olim et mare fuit.

IV. At ne nunc quidem a vi terrae nostrae inferenda aestuans mare sese abstinet, sed maiores potius clades et ruinas molitur. Labentes enim rapidissimeque fluentes aquae necesse est, vt hinc magnam arenarum copiam secum abripiant, eluanturque terrae ac sensim in dies magis magisque disruptae excauentur **); haud secus, atque cuniculos videmus colles, in quibus sedem fixerunt, ita sensim suffodere, vt quoquo versus cauernae et cubilia oriantur, in quibus laute atque secure oleribus pastum pinguescat hoc genus animalculorum. Egestas autem arenas et lapides in littora eiicit mare, ipsumque longius a ripis, quas vnda prius alluebat, recedit. Quae enim maritimae antiquis-

*) Explicauit systema suum Cel. CATTIVS in *Magasin François* Iuin 1750. Nos vero, quia liber non in manibus est, sequuti sumus interpretem germanicum in *dem allgem. Magazin* Tom. V. Lips. 1755. p. 1. ff.

***) Si vera sunt, quae nuperrime de terrae motibus vno die in maxime distitis terris, obseruatis narrantur, colligi posset, instar fornicis Europam esse continuo hiatus excauatam. Triste heu! mortalibus omen!

tiquissimis temporibus ciuitates erant, eae vero nostra aetate procul a mari distare animaduertuntur. Quod quam vere dicatur, viderit Cattius, cuius quidem fide et haec nituntur, quod rapidius iam fluuii ferantur, perspicuo et claro indicio deficientis aquarum copiae. Excavari vero terras non modo, sed rupes etiam, iis facile se probaturum esse existimat Cattius, qui cauernas ingentes et antra, quorum in omnibus fere prouinciis quaedam magno spectantium horrore obseruantur, cogitent; aut qui moles illas saxorum, quorum quodque magnitudine aequat petram, attente contemplantur. Et vidimus nos ipsi in colle quodam, qui in agro Helmstadiensi est, quemque *montem Cornelii* regionis incolae appellant, eiusmodi prodigia saxorum et vnum quidem alteri impositum, eo pondere, vt nulla id arte, multo minus hominum viribus, quantascunque etiam maiorum nostrorum fuisse credat plebis leuitas, effici potuerit. Exstat vero de mirabili hoc spectaculo liber singularis CONRINGII, sideris olim Germaniae erudita. Memini etiam, exposuisse de saxorum quorundam, quae in Luneburgica prouincia cernuntur, KEYSLERVM, acutissimum et inprimis eruditum antiquitatum et peregrinationum scriptorem. Sed audiamus reliquas Cattii portentosas vaticinationes.

V. Continuis hisce terrarum excavationibus futurum est, vt quae contexta antea fuit et continens tellus, soluatur tandem atque rumpatur, ac primum quidem interius et habeat viscera plena aquarum: exterius vero cortice tantum tegatur, quo sustineatur adhuc omnis illa arborum, montium, hominum ac ciuitatum imposita Telluris quasi humeris multitudo. Quemadmodum videmus malum citreum ereptis omnibus intestinis, densitate et duritie putaminis formam suam et quasi *σύστασις* sine carne seruare; aut quo modo obducta flumini hiberno gelu, glacies, ligneas domunculas, plaustra aliaque ingentia onera, ne ab aqua subter libere manante, absorbeantur, fulturis suis sustentat.

VI. Allinentibus vero aquis rapidissimaque illarum et continua agitatione, attenuatur tandem terrarum ille cortex superiorum, et consequantur necesse est, hinc et illinc disruptiones telluris ingentes, dehiscensque terra et alluione pertinacissima omni ex parte exesa, subito corruat, futurum est aliquando; quemadmodum domus graui ruina concidit, dum laxata sunt fundamenta, quibus innitebatur, omnesque male cohaerentibus lapidibus, parietes rimas agunt. Atque haec quidem erunt terrarum orbis, quantus quantus est, extrema et tragica, quae *le Cattius* ipsi denuntiat, fata. Nos autem videamus iam paucis, num feliciora, firmioribus nixi rerum argumentis, exspectare et polliceri queamus. Vturi vero etiam disputantes ad-

uerfus philosophum Mosis auctoritate, speramus id aequis lectoribus nos esse facturos. Cui enim de prima orbis nostri conditione melius constare potuit, quam antiquissimo scriptori, quem simpliciter omnia, quemadmodum gesta sunt, narrasse certissimis argumentis constat. Neque enim sefellisse eum, Cattius docere potest. Atqui illae ipsae viribus humanis superiores res gestae docent, eum diuino afflatu gauisum fuisse. Temeritatis igitur esset, sublestae fidei insimulare actum diuino spiritu hominem. Nec facile persuadebit homini sapienti et pio, diuinorum operum scriptorem, MOSEN physica negligentius suo iure attingere potuisse, quum ad fidem haec non pertineant. Quid? Nonne ad fiduciam et pietatem excitandam alendamque hoc maxime pertinet, scire, quemadmodum DEVS omnia apte et concinne effecerit? Scire, numquam a veritate recessisse eos scriptores, quorum auctoritate omnis christiana fides constat. Scire, nihil ex suo ingenio, omnia ex diuino mandato perscripta litterarumque monumentis consignata fuisse? Accedamus *ad Th. I.* Facile patiemur aquas principem et sublimen supra terram locum occupare. Quae autem *Thesi II.* traduntur, ea tam aperte pugnant cum his, quae de natalibus terrarum orbis narrat diuinus scriptor, Moses, vt nulla arte possint vera esse, si Cattius vicerit. Primum enim ex Mosis verbis hoc, nisi omnia me fallunt, patet, aquas et terras fuisse inter se permixtas, ita, vt moueri illae ac fluere, obiecta telluris mole impeditae, non potuerint. Motus vero fuisse a diuino spiritu, acceptis ipsius virtute vita atque calore; sine quo decurrere in alueis suis nequeunt. Id quod nobis illud מרחפת *מרחת* indicare videtur. Deinde Deum dixisse, ait Moses: *Fiat expansum in medio aquarum: et sit diuidens* quoddam (ויהי מבריל) *inter aquas et aquas et comm. IX. congregentur aquae sub coelo ad locum vnum, et appareat arida: et factum est ita. Et vocauit Deus aridam, Terram; congregationem autem aquarum vocauit Maria.* Cattius contra Lunae id tribuit, quod separata fuerit terra ab aquis, sub quibus illa latebat. Scio quidem, plerosque naturae consultos fluxum atque refluxum maris Lunae, nescio cui virtuti vindicare: Non vero desunt iis, qui quiduis potius, quam nocturnum hoc sidus tempestiuam hanc maris decursionem efficere, credibilius putant, argumenta, quibus depugnent. Erunt vero etiam, quibus videbitur Cattius hanc fluxus et refluxus vim longe, quam res ipsa fert, vehementiorem iactare. Quis enim crederet, iuga illa montium, quorum altitudines siderum fere aequant, Aetnam v. c. Atlantem, Agram, Athos aut Caucasas Alpinasque rupes agi in tantam magnitudinem arenarum congectione potuisse? Sed fuerint tanti fluentium desluentiumque stasis vicibus marium impetus, luna tamen pallida effectrix tantorum motuum

tuum esse nequiuit, quod nondum ipsa existeret. Die enim demum quarta lucere illa in coelo coepit, quemadmodum etiam pisces die quinto, conditi fuerunt, qui profecto, si instructae aquae ad habitandum aptaeque ad innatandum fuissent, citius vixissent.

Quae *Th. III.* dicuntur de ossibus animalium, ea non probant, ex mari reiectam ad littora terram fuisse, sed contrarium potius, nimirum inundatas fuisse maximas Asiae et Africae prouincias torrente fluminum, abreptaque fuisse tanta haec et immania corpora deportataque esse longissime a solo natali. Pisces vero quo fato in montibus nostris relictos dicam, anceps sum, nec quid definiam scio. Desedisse Noachica illa et vniuersali eluione, veri videtur similius, quamquam nec Cattii repudianda sit, si cetera constarent sibi, opinio.

Quae *Th. IV.* de maximis stupendisque, partim etiam de quotidianis fluxus et refluxus effectibus narrat, ea vero eiusmodi sunt, vt vires nostras et tenuem rerum harum cognitionem superent. Certius quid veri insit in Cattii assertis decernent maris accolae et viri rerum geographicarum periti. Putauerim vero, et in augendis amplificandisque effectibus nimium dedisse problematis sui amori Virum doctissimum.

Thesi denique *V. et VI.* absorptum iri aquarum vi, globum nostrum nouamque scenam mundi ex disiecta materia exstructum confirmat. Nobis vero quo minus haec pericula persuadeat, haec obstare videntur: Non facturum existimamus praepotentem terrarum orbis architectum per sapientiam suam id esse, vt splendidissimum hoc et omni ex parte fabricatoris sui virtutum diuinarum simulacris exornatum aedificium quasi vetustatis carie confectum, diruatur. Neque enim eo melius quidquam aut pulcrius fingi animo et cogitatione posse, iam Cicero (*N. D. II. 45. Tusc. I. 28*) est visum. Sed fingamus, collapsurum tantum et tam probe omni ex parte munitum aedificium: vnde vero aquarum vis tanta, quae absorbere possit et gurgite quasi suo glutire ingentem istam telluris copiam, quae ex centro globi nostri ad omnem suam extensionem aequabiliter distributa est. Maiorem quidem partem de superficie globi nostri externa aquae occupant: Interius vero angustis tantum alueis per media terrarum viscera fluunt. Et aequant etiam marium profunditates montium altitudines: vt adeo difficile sit ad intelligendum, qui erumpere ex carcere aquae subterraneae sursumque ferri queant, conglobataque marium vis quidquid est terrarum ac montium, sit absorptura. Alterutrum vero etiam consequetur, vt aut leges grauitatis tollantur, aut vero cursus fluxusque aquarum ipsi sistantur, impediti terrarum congestionibus tantis. Ad extremum, cui vsui globus aqueus? Neque enim poterit postea habi-

tari. Ne dicam, *Lunam* in societatem malorum trahi, molestasque vicissitudines passuram exinde esse. Intercedent vero etiam Theologi, cum promissum illud diuinum Dei testati Gen. IX. 11. solemnissime alteri humani generis capiti, Noacho, datum: *non excisum iri omnem carnem amplius ab aquis diluuii: nec futurum amplius esse diluuium ad perdendum terram:* cum vero hoc: igne purgatum iri terram; tum vero et illa, quae in extremo mundi die gloriosissime a Christo iudice, myriadibus angelorum et beatissimarum mentium stipato perficientur: quo tempore reuocata ex sepulcris piorum corpora *nostram* et augustissimam speciem induent, attamen non prius, quam ex terra suas quisque corporis partes recepissent. Et quoniam corpora *nostra* poterunt in libero aere versari, terra haud dubie vniversum tum humanum genus, tamquam iudiciale forum sustinebit. Matth. XXV. 32. I Thess. IV. 16.

Haec vero minime eo consilio scripsimus, ac si ex pugna cum hoc Vlysse gloriolam nobis quaereremus, sed ea tantum mente, vt nostros doceamus, quam timide atque prouide nouae opiniones, in quibus id ipsum nouum et inusitatum gratiae multum, qua decipiat quasi esca quadam, habet, prius sint examinandae, quam illas probemus. Iam vero maxime etiam pietas erga OELHAFIANAM sanctam nobis memoriam monet, vt ipsi quantum precibus nostris possumus, celebritatem quandam faciamus, etiam atque etiam obseruantissime ac enixissime rogantes, vt, quotquot mansuetioribus Musis nostris fauent, vacare beneuole haud dedignentur his ex primo Gymnafii ordine ab hora pomerid. II. cras D. B. I. declamaturis alumnis: Videlicet CHRISTIAN. LEBERECHE DAMRICH. *Glauchensis*. Lat. dicet de veneratione Christi, Pacificatoris terrarum orbis, inter gentes profanas. Excipiet hunc

SAMVEL CHRISTOPH LITZMANN, *Halensis*, nostra lingua ostensus inuisibilem Deum in rebus creatis magnifice visibilem.

Pietatis in b. Oelhafium interpres erit

CHRISTIAN ADAM THEBESIVS, *Pomer.* de eo, quod diuinum est in Christiana virtute, latine dicturus.

Rektor nonnihil dicet, quod accommodatum sit *ruinae Lusitanicae*, et Germanice id quidem dicet. P. P. in Gymn. Halensi a. d. VI. Ian. cloccclvi.

Obliti sumus nuper in tabula, quam publice proposuimus, lectionum Gymnafii nostri, *mathematicarum scholarum*, quae alumnis nostris Graecorum more, ad acuendum ingenium rite, proxime aperientur.